

26.
J. N. S. S. T.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
De
AFFECTIBUS
HUMANIS,

Quam

*Ex Consensu Ampl. Ordinis Philos.
in Regia ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

Rectore h. t. Magnifico,

M. JOH. HAARTMAN

Phil. Theor. Profess. Reg. & Ord.

Publico Bonorum examini modeste s̄istit

Regius Alumnus

JONAS KIELLGREN

Vest-Gothia-Svecus.

Ips. Kal. Apr. MDCCXXXII.

boris locoque ante meridiem consuetis.

A B O Æ,

Excud. R. Acad. Typ. Joh. Kiämpe:

Til
Kongl. Maj:t:s
Tro-Tjenare och Capitein vid Tavast-
hushålla Infanterie Regemente och
Rautalambi Compagnie,
Edle och Wälborne
Herr HENDRICH BÖISMAN
Min höggunstige Patron och
Wälghynnare.

Iag skrifvet om Affecter
Har iag rönt en märcklig drift,
Och der wid rött blefwet wäckter
Af Er fromhet til min plicht;
Så må det ock Er tilhöra
Hvad iag här wid kunnat giöra:
Iag är bunden för min del
Till Er wördnad utan fel.

Når iag nänsia mig väminnet,
Herre from. Er ådla gunst,
Altid mig i hogen rinner:
Sliket eū böra ske vmsunst:
Men hur skal iag kuona lönna
All den godhet iag fåti röna,
I wålgierning sror och mång,
Som ej räknas kan en gång.

Mitidns godhet har iag niutit,
Om iag satt besänna fär;
Ingen huldhet har mig trutet
Eller hos Er detta åhr.
Edor Fru och Maka fiåra
Som i heder, dygd och åhra,
Bland sitt kiön en prydnad är,
Har ock ett giort med Er här.

Hvad betalning Mal här blifwa?
Föga doget pappers fram.
Den ej annat har at gifwa
Mäst dock der med tråda fram.
Ett förundran vårdt här blifver,
Iaa til Er på Svensta strifver,
Då latin med studier fler
Heder Er och prydnad gier.

Men iag har det welat giöra,
At hvar Svenst må kunna se,
Huru lyckan welat föra
Mig kring Finnland, och bete
Mehra godt än iag kund tändia.
Slikt sie f himlen welat Skianlia,
Derför ware ewigt pris,
Himlens Herre mild och wis.

Himlen sekjå Eder Kröne
Med Er Wän och Edla Fru,
Nåd och mildhet all belöne,
Jag af Eder in tils nu
Niutit, samt få niuta hoppas;
Herren vlykts strömen stoppas

Låte, Barnen och gå väl,
Med Er lust til kropp och s:ål!

Sidst iag mig vpooffrad gifwer
Til all tienst och wyrdnad ren,
Dinpt Ert lsf med nöje frifwer
I mitt h:erta vthan meha.
Solen må mig mehr ej lyfa,
Då iag ej wil kärlek hyfa,
Mot Ert Edla Kiåra hus,
Lils mig stocknar liffens lius.

Edle och Wälborne Herr Capiteins min hög
gunstige Patrons och Wälgynnares

högsiförbundne tienar

Jonas Kiellgren.

Plurimum Rever. atque Doctiss.

Dominus

Dn. SIGFRIDO PORTHANO,
Pastori in Bitasari & Kiwijärvi vi-
gilantissimo, Nutritio, Fautori &
benefactori nunquam non
suspiciendo.

Multa ecquidem sunt, que in Te,
Vir venerande, suspicio quam
maxime, utpote doctrinam, quam omnes,
qui Te norunt, eximians apud Te esse
sciunt, quæque cum gravitate & optimis
moribus conjuncta Te a primis sta-
tim annis ad eos honores, quos multi
per totum vitæ curriculū attingere neque-
unt, evexit. Suspicio pulcherrimam a-
nimi tui indolem, infucatum pietatis stu-
dium, insignem in Tuis ornandis pietati-
bus, in voluptatibus ubivis etiam usi-
tatis & maxime licitis temperantiam;
in gloria affectanda moderationem; Ni-
bil tamem magis nunc admiror, quam
sum-

summum illum favorem, summaque
benevolentiam, qua me in multis dignari
voluisti; si hec beneficia oblivionis tene-
bris sepulta conderem, vel tacitus illa
præterirem, multo dignissimus essem, qui
bos�itis ingrati nota inurerer. Ego Mei
in Te animi testem, hoc qualemque
munc esse volui. Et cum Tuis donis pre-
dicandis, ne dicam remunerandis, sim
impar; Deum adsiduis semper fatigabo
votis, velit is prome, que ipse non valeo,
digna Tibi premia retribuere, semper
permansurus.

Nominis. Tui.

Plurim. Rever. atque Doctiss. Dne,

Cultor indefessus

Jonas Kiellgren.

Plurimum Rever. atque Doctiss.

Domino

Dn. SIGFRIDO PORTHANO,
Pastori in Bitasari & Kiwijärnei vi-
gilantissimo, Nutritio, Fautori &
benefactori nunquam non
suspiciendo.

Multa ecquidem sunt, que in Te,
Vir venerande, suspicio quam
maxime, utpote doctrinam, quam omnes,
qui Te norunt, eximiam apud Te esse
sciunt, queque cum gravitate & optimis
moribus conjuncta Te a primis stra-
viss annis ad eos bonores, quos multe
per totum vite curriculu attingere neque-
unt, edexit. Suspicio pulcherrimam do-
minis cui indolem, infucatum pietatis stu-
dium, insignem in Tuis ornandis pietan-
tibus, in voluptatibus ubivis etiam usi-
tatis & maxime licitis temperantiam;
in gloria affectanda moderationem; Ni-
bil tamquam magis nunc admiror, quam
sumus.

summum illum favorem, summaque
benevolentiam, qua me in multis dignari
voluisti; si hec beneficia oblivionis ten-
bris sepulta conderem, vel tacitus illa
præterirem, multo dignissimus essem, qui
bospitis ingrati nota inurerer. Ego Mei
in Te animi testes, hec qualemque
munc esse volui. Et cum Tuis donis pre-
dicandis, ne dicam remunerandis, sim
impar; Deum adsiduis semper fatigabo
potis, velit is pro me, que ipse non valeo,
digna Tibi præmia retribuere, semper
permansurus.

Nominis. Tui.

Plurim. Rever. atque Doctiss. Dne.

Cultor indefessus

Jonas Kiellgren

A. Ω.

INTROITUS.

Ovid homo sit substantia
ex mente reflexive cogi-
tante & corpore organice
extenso composita (a)
qvivis facile animadvertere po-
test, si ad hoc animum attendit:
Quæ cum se invicem ut amicis
utantur, utraque erit pars ejus
essentialis: *Mens Sc. & corpus. Mens*
& res varias cognoscit, & cog-
nitas vel appetit, vel aversatur.
Eam facultatem qva res imma-

A. teria-

(a) Adiſis Gentzko de aff. p. m, 3.

teriales & abstractas percipit, di-
 judicatque, & de iis ratiocina-
 tur, vocamus *Intellectum*: qva
 vero ideas rerum corporearum,
 sive *materialium* sibi format, &
 de iis vel judicat, vel ratiocina-
 tur, appellamus *imaginationem*.
 Facultas vero mentis, qvæ bo-
 num *materiae expers* appetit, ma-
 lum averatur, voluntas sive appre-
 titus *rationalis*; qvæ in res mate-
 riales ex *imaginationis* judicio
 fertur, vel ab iis refugit, appeti-
 tus *sensitibus* dicitur. *Voluntatis*
actus sunt varii. aliquando enim il-
 li in voluntate subsistunt, veluti
politio, *intentio*, *fruitio*, *electio*, *con-*
sensus & *usus*, qui vocantur a-
 etus elicii; qvorum tres priores
 ad finem, posteriores ad media
 pertinent. Primo enim finem
cognitum, voluntas adprobat,
 deinde ad eundem consequen-
 dum efficaciter se movet, &

tandem eo obtento fruitur, pla-
 cideque adquiescit. Sic & me-
 dia primo probantur, tum qvæ
 maxime idonea visa fuerint e-
 liguntur, & demum usui ap-
 plicantur (*b*). aliquando extra vo-
 luntatem transeunt, in alias ani-
 mi vel corporis facultates, qvi-
 bus dirigendis hæc est idonea,
 & tunc *imperati* appellatur actus
 voluntatis. Ita voluntas potest
 imperare intellectui, ut rem ac-
 curatius completetur, non au-
 tem ut circulum sibi concipiat
 quadratum. Voluntas potest im-
 perare brachio, ut se extendat,
 non autem stomacho, ne con-
 coqvat cibum: *Appetitus sensiti-*
vus appetit vel aversatur res *ma-*
teriales, prout illæ se imaginatio-
 ni vel tanquam bonæ vel tan-
 quam malæ repræsentant Cæte-
 rum ex eo, qvod imaginatio cir-

ca res materiales, intellectus circa res immateriales versetur, haud difficulter colligere possumus *imaginationem immediate; intellectum mediante abstractione ex sensu oriri*, & eatenus verum esse, qvod veteres dixerunt: *Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu* (c). Unde prona etiam consequentia concludere possumus, *Ex sensu etiam, licet sub diverso formaliter, nasci affectus.* Nam ut objecta materialia primum feriunt sensus, deinde imaginationem, hinc demum intellectum, qvoad sui cognitionē; nihil quippe aliud est sensus qvā corporum & affectionum, qvæ extra organum sensorium sunt, placida perceptio. in hoc vel illo organo sensorio orta, & per nervos ad cerebrum, inde ad mentem derivata: qvæ tametsi non fallat, si reqvisita ad senti-

endum adsint omnia; mens ta-
men parum attenta, & illis re-
quisitis destituta, facile incidit
in morbos: *fatuitatem, stultitiam,*
insaniam, furorem, entusiasmum
(*a*): ita eadem objecta materia-
lia, quæ in sensus incurruunt, vel
grata nobis judicamus vel ingra-
ta; hoc respectu, vel appetitum,
& qvidem immediate, vel volun-
tatem nempe mediate, modo ve-
bementiori afficiunt. Quidquid e-
nim utile & conducibile nobis
putamus, quidquid grato sensu
ad blanditur, illud plane desidera-
mus, illud data opera quaerimus,
appetimus, sequimur; quidquid
vero damnosum atque nocivum
judicamus, quidquid adverso sen-
su terret, id ipsum aversamur,
abhorremus, fugimus. Unde sen-
sus gratus principium sentiens
vel animam allicit, excitat, atq;
pro

(*a*) Ad his Heinec modo cit.

propensionem, cupiditatem, amorem in ea producit: ingratus eandem terret, unde aversio & odium in ea oritur (e). Hic vero sensus & appetitus, hæc aversatio sensitiva vehementior, *affectus audit* (f). De quibus jam paucis disquirere animur: induxi. Quemadmodum autem nemine peregre prefecturum in patria decet esse peregrinum, expertem puta patrii sermonis, legum, mōrum, rituumve; ita eos qui præclaris in disciplinis, scientiisque aliquos faciunt progressus, iisque nobilitari cupiunt sui ipsius ignaros esse non convenit. Quid quæso juvat exacta cœli astrorumque qua motum numerum varioscē effectus cog-

ni-

(e) *Jo. Melch. Verdries in Phys. partis spec. c. 8. p. m. 536.* (f) *Conf. L d Phil. Thummigii instit. Phil. Wolf. part. 2. p. 145.*

nitio? vel scire utrum solis, an ter-
ræ motui dierum noctiumque
vicissitudines adseribendæ sint? i-
pse vero unde moveatur nescire:
scire utrum rerum naturalium &
extra nos positarum motus ad-
tractione an pulsu peragatur? i-
pse vero utrum extrinsecus an
intra ad bonum aut malum deter-
minetur nescire: utrum luna &
reliqui planetæ proprio, an mutua-
to lumine splendeant; quid vero
luminis & unde in se sit ignora-
re: solis & lunæ deliquia acute
pericruti; virtutum horrendas
eclipses negligere: utrum ignis
propria, an aliena virtute cale-
faciat luceatque; utrum trigus sit
aliquid positivi, an mera caloris
absentia atque privatio: utrum
colores sint puti luminis foetus,
an entia, quæ per se met ipsa
subsistant: reserare nubium ady-
ta; & fulgurum atque fulminum
gene-

generationes, caussas ac mirabiles
 plane effectus explicare; terræ
 ambitū, locorum distantias, tur-
 rium & montium altitudines ca-
 lamo percurrere. Nonne hæc
 omnia scitu sunt pulchra, jucun-
 da atque utilia? sunt fateor: &
 quorum speculationibus aliquan-
 do immersus ipse mirifice dele-
 tor; sed cum sui ipsius ignorantia
 conjuncta non laudo. Comenda-
 tissimum itaque erit semper no-
 bis per omnia illud Solonis: γε
 θι σταύλος. Quæ quamvis non sa-
 tis mature considerans, cum ali-
 qua de Affectibus, ut dixi, discu-
 tere constituerim, Deum precor
 quod bene vertat; Tuamque jux-
 ta, Candide Lector, obtestor
 benevolentiam, velis pro solito
 tuo favore nostra qualiacunque
 hac in re conamina boni consu-
 lere. Vale.

MEMBr. I. De affectuum humatorum
natura

§. 1

EQuidem affectus plerosque omnes in brutis æque ac hominibus deprehendimus. in illis enim, in canibus teorsim lætitiam de Domino, qui post aliquod temporis intervallum rediit, vel tristitiam de eodem, si mortem oppetiit, observare licet; ut de affectu metus ob plagas infligendas, vel spei de cibo impenetrando nil jam dicamus: a quibus tamen multum differunt affectus humani, maxime si *objectum* & proprietates illorum quis subincudem revocare velit (g). Illi enim rebus tantum *visibilibus*, hi etiam *invisibilibus* afficiuntur. Il-

li

(g) ut bene observat Aug. Godofr. Kromai. in *diss. Numen. dari Ec.* p. m. s.

li appetitum duntaxat movent, hi etiam voluntatem. illi modificari, corrigi & mutari non æque possunt, atque hi, pro multa hominis cujusque libertate, & studio quod adhibent. Nobis hic de affectibus prout in homine sunt conspicui, sermo est; qui Græcis $\tau\alpha\thetaη$, Ciceroni *perturbationes*, aliis Philosophis quibutdam *cupiditates*, aliis *commotiones*, vulgo *passiones* vocantur.

§. II.

Fieri autem motus sive comotiones vel in corpore, vel in anima, vel in utroque simul, docet Celeb. Dominus Jo. Georg. Valchius. (b) Illas affectus corporales; istas *mentales*, has *mixtas* vocat. Illas in extraordinario sanguinis motu, quatenus solum spectant ad corpus con-

(b) *Introd. in ph. I. p. m. 375.*

confistere : istas ex viva rerum spiritualium , sensusque externos transcendentium repræsentatione, in sola excitari voluntate : his cum voluntatis vehementi commotione , motum sanguinis esse coniunctum dicit. At cum mutua sit necessitudo inter corpus & animam hominis, ut commoda & incommoda secum invicem ex æquo partantur (*i*), nec ulla fiat perceptio , sive animæ repræsentatio , in statu consociationis corporis & animæ sine organi corporei motu, & hinc dependente interna corporis & humorum, fluidi in primis nervosi in cerebro & nervis commotione (*k*), non video quomodo quis constituere queat affectus vel pure corporales

(*i*) *Adfis Christ. Joh. Langii Coll.*
Caf. p. m. 17. (k) Verdr. Phys. p. spec.
p. 557.

rales, vel pure mentales. Plus vel minus alterutram affici partem vel animam vel corpus concedimus: exclusa altera quidquam fieri negamus. Ubique enim in omnibus animi concitatis agitationibus, quas affectus dicimus, ad exactissimum animi & corporis conspirationem, consensionem & harmoniam res recidit, ut loquitur modo nominatus Celeb. Dn. Verdries in de æquilibrio Mentalis & Corporis commentatione^(l). Hæ due partes, inquit Clariss. Dn. Gentzken. (m) Firmo nexu sunt unitæ. Etenim Deus condendo hominem voluit illum, vinculum mundi mentalis & materialis constituere, ut ex usu rerum corporearum haberet ansam celebrandi benignitatem Creatoris. Hunc in finem arctissime certos motus corporis,

cum

(l) p. m. 131. (m) Tract. de aff. hom. p. m. 30.

cum certis perceptionibus & commo-
tionibus mentis conjunxit, ut nil cor-
pus quocunque modo tangere posset,
ut non aequa per animales spiritus
mentem afficiat. Mixta itaque sta-
tuimus esse omnia mentis corpo-
risque *ταθηναλα*; quæ varie a va-
riis describuntur. Nobis affectu-
um nomine veniunt *perceptiones*,
quæ cum ipsius principii sentien-
tis, atque fluidi nervosi in cere-
bro & nervis, ipsorumque ner-
vorum, ut & cordis ac sanguini-
nis, voluntatis quoque & appeti-
tus vehementi agitatione sunt
conjunctæ; qui a Cl. Domino
Gentzk. definiuntur per *affectio-*
nes voluntatis, quibus mens nostra
ex representatione boni & mali ex-
traordinarie inclinatur, & *sanguis*
animalesg, in corpore spiritus, ad illius
prosecutionem ac hujus fugam pecu-
liariter agitantur in sui scilicet con-
servationem. Breviter, natura af-
fe-

fectuum consistit in extraordinario spirituum & sanguinis fluxu refluxuque. (n)

MEMBr. II. de Origine & Causis Affectuum.

§ I.

Quod ad originem affectuum attinet, discrimin illud observandum venit, quod est inter *occasione*, & propriam proximamq; illorum *causam* sive *originem*. Occasio in objectorum externorum prima repræsentatione, sive sensione, sive etiam perceptione (: res eodem recidit:) quærenda est. Sine sensione affectus excitari nequeunt, propterea quod ignoti nulla cupido. Hinc si quis absens vel maximis læsus fuerit conviciis, ubi hoc ipsi ignotum est, ira nulla sequi-

(n) in tract. de aff. p. m. 5.

poteſt; ſenſione quippe impedi-
ta impeditur affectus. Senſio-
nem ejus modi excipit repræſen-
tatio in mente, in primis quæ fit
vi imaginativa. Sæpe enim co-
gitationes in mente exiſtere poſ-
ſunt, ſine affectu quodam in vo-
luntate. Sæpe multa bona ma-
laque audimus, deque iis medi-
tamur, ſine vel leviffima volun-
tatis commotione: at imaginatio-
nis alia eſt ratio, qua objeſtum
nobis repræſetamus, prout ad nos
ipſos pertineat, hinc que nobis
aut bonum, aut malum fit; quæ-
que a Celeberrimo Dno. *Valcbio*
(o) habetur primaria, eaque
propria cauſa; quod ex variis
probat rerum circumſtantiiſ; E.
G. ſi duobus idem contingit ob-
jeſtum, ut nimirum uterque pa-
ri ratione opprobriis afficiatur,
fieri poteſt, ut alter vehementer
ira-

(o) *Introd. in Phil. p. m. 376.*

iraſcatur, alter vero placida qui-
efcat mente; quod certe non ni-
ſi ex imaginationis ratione deri-
vaveris. Is enim qui excande-
ſcit, rem veluti magnum ſibi
malum repræſentat: alter non i-
ta ſeſe habere ſibi perſuadet, hinc
animus illi eſt quietus, nec com-
mōvetur. Si porro affectus re-
gere, compescere, debilitare vel
roborare velimus, id ſane fieri
debet per imaginationem, ita ut
cogitemus objeſtum eſſe, vel
majoris, vel minoris momenti,
alioque vertamus cogitationes.
Dum enim nobis res aliæ obve-
niunt, de iis quoque cogitamus,
& imaginatio, quæ fuſtentat affe-
ctum ceſſat, & dimittit prius ob-
jeſtum ſuum. Dependet itaque
ab imaginationis diſcrimine, va-
ria affectuum humanorum con-
ditio. Imaginationis autem va-
rietas ex diuersis cauſis eſt deri-

vanda, speciatim ex voluntatis dispositione & varietate temperamenti. Ita voluptatis studiosus rem quandam longe aliter sibi representat, quam ambitiosus aut avarus; prout quoque experientia duce clarum est, pro diversitate propensionum, affectus quoque esse varios, E. G. Voluptuosus si laedatur, tanti injuriam non facit, quanti ambitiosus; & avarus si minimam passus est jacturam, magis contristatur quam voluptuosus. Homines sane secundū propensionum rationem, bonarum malarumque rerum gradus metiri solent. *Imaginationem sequitur in voluntate commotio*, cum quā conjunctus est sanguinis motus. Hinc est, quod pro diversa imaginationis ratione multiplex inveniatur etiam hominum genus, qui in affectibus diversi sunt atque varii, & ad tres classes, non incommodè a modo

nominato Celeb. Dno. Valchio referuntur (*p.*). *Sunt* (*a*) qvi singulari non sunt prædicti imaginandi facultate; qvare nullis ferre perturbatur affectib⁹, & in bonis adqvirendis sunt negligentes, in malis autem removēdis securi, nec curant qvomodo in tempore debita cura sint adhibenda subsidia. *Alii* (*B*) multa valent imaginatione, in qvibus non freqventiores tantum, sed vehementiores quoqve oriri solent affectus, adeo ut levissima quadam offensione multum irasci, de re nullius momenti magnopere lætari, & levis dispendii cauſa, cœlum terramqve mōvre fatagant; qvod hominum genus itidem infelix reputandum est. *Interne* nimirum continua mentis perturbatione agitantur, serviqve sunt suorum affectuū. *Externe* autem ad consuetudinem

cum

(*p.*) In *introd.* in *Pbil.* p. 378.

cum aliis sunt inepti, eo qvod
subitis, vehementibusque suis
affectionibus multam molestiam si-
bi aliisque adferant. *Media* (γ)
via inter hos incedunt, qui de-
stituti quidem vi imaginativa non
sunt, eam autem judicio sciunt
subjicere, ut rationi affectus ob-
temperent, huicque fiant con-
sentanei.

*Membr. III. De Obiecto & sede affe-
ctuum*

§. I.

Obiectum, vel quod in nobis
excitat affectus, sunt res,
sub ratione boni vel mali appre-
hensæ. Ubi observat Clarissimus
Gentzkenius, quod in affectionibus,
qui bonum pro objecto ha-
bent, sanguis ab interioribus ad
exteriora; qui vero malum pro
objecto habent, ab exterioribus
ad *interiora*, spasmodica partium

constrictione pellatur. Inde rubor faciei, hinc palor etiam existit.

§. II.

Quod ad sedem affectuum attinet, patet ad voluntatem pertinere affectus. exinde quod ex repræsentatione *boni* & *mali* oriantur, & circa *boni* prosecutio- nem & *mali* fugam, quæ propria sunt voluntatis, occupentur. At quan*z* in corporis parte, voluntas affectus vel recipiat, aut exerceat, non convenit inter Philosophos. Fieri id in *corde* alii, alii in *cerebro* sta- tuunt. In *corde* fieri, ex hoc col- ligit Celeb. Valchius, quod ope- ratio in anima, cum in volun- tate affectus excitatur, non in *cerebro*, ut in cogitationibus sit, sed in corde se prodat. In *cerebro* fieri, exinde concludit Celeb. Ver- dries (q), quod affectus oriantur a perceptione, perceptio vero fi-

at

(q) In Phys. part. sp. p. 537.

at in loco communis sensorii, atque ille locus sit in cerebro. Quas sententias ita facile conciliandas esse docet Cl. Gentzen: suppono, inquit, & *cerebrum* & *cor* esse primaria membra, in quæ mediantibus nervis mens agit, & quia *intellectus* ac *voluntas* tantum cogitatione differunt, patet simulac mens exerit affectum, & *cerebrum* & *cor* moveri: illud per spiritus animales, ut idea boni vel mali conservetur; hoc se vel dilatando vel contrahendo, ut fluxus sanguinis vel provehatur, vel retardetur, quemadmodum affectui conveniens erit.

Membr. IV. De divisione affectuum.

§. I.

Affectuum species varias constituerunt Philosophi. Pythagoræi cupiditatem & excandescentiam constituerunt principales ac primarias

as passiones. Illam *bonum*, hanc *malum* pro objecto habere dicebant. Academicis 4 fuere præcipui affectus: *egritudinis* sc. *formidinis*, *tibidinis* atque *letitiae*; ad quos tanquam ad sua capita atq; principia reliquos retulisse hinc inde nominatos deprehendimus. Quo etiam *Virgilius* procul dubio respexit, ita canens, Lib. VI Æneid.

- - *Hinc metuunt, cupiuntque dolent
gaudentque*

Nec non Horatius, Ep. Lib. I. Ep. 6.

*Gaudeat, an doleat, cupiat, metu-
atque quid ad rem?*

Nec Stoicos hac in parte ab illis dissensisse animadvertere licet. Conferamus Ciceronem, Senecam aliosque. Scholasticis XI numerantur, quorum alii ad appetitum concupiscibilem referri solent, ut sunt Amor, Lætitia, Spes, Desiderium, Audacia. Alii ad

ira

irascibilem, ut Fuga, Metus, Odium, Tristitia, Ira & Desperatio *Cartesius* affectus dividit in Primitivos & Derivativos. Primitivi, qui ex nullis aliis orti, atque adeo simplices sunt, ipsi dicuntur sex: admiratio, amor, odium, cupiditas, lætitia, tristitia; Derivativi, qui deinde ex hisce vel oriuntur, vel sunt orti. Gentzkenius (*r*) aliquique quidam recentiorum ita procedunt: quoniam esse nostrum partim instinctu Naturæ, partim rationis ductu conservare & perficere impellimur, nos nihil movet, nisi quod bonum, i. e. nostri conservacionem; aut malum, i. e. nostri destructionem promovet. Inde concludunt *amorem nostri* esse universalissimum affectum, & fons omnium aliarum passionum, quippe quæ non nisi *emanationes* &

(*r*) in tract. de aff. p. m. 22.

& species Philautiæ sunt. Nihil enim odissimus, ob nihil tristaremur, vel irascemur; nihil desideraremus, speraremus vel metueremus, nisi talitem nosipso, nostramque conservationem, aut quamcunque ejus speciem amaremus. Ex hoc nostri amore fluere dicunt, *duos primigenios affectus, & fontes ceterorum omnium, amorem scilicet & odium.* *Il-*
lum cum singulari impetu versus bona; *hoc autem erga mala te exer-*
rere docent: cōstituentes reliquos deinde affectus, vel distinctas horum species, vel distinctos gradus, vel distinctas amoris & odii mo-
dificationes, petitas aut ab effectu, aut a diverso respectu, quem ha-
bent bona & mala erga nos, quatenus propinqua vel remota, praesen-
tia vel futura, obtentu possibilia vel impossibilia, facilia vel difficilia cog-

cognoscuntur^(s). Non adeo dis-
sentimus ab hisce. Qvia tamen
voluntas vel appetit vel averfatur,
& altera mentis commotio ve-
hementior est altera, aliaqve ra-
tione mentem afficit, qvo circa
melius esse judicamus, cum Ce-
leberrimo Dno. Joh. Georg. Valchio,
(t) si & nos *amorem atque odium*
distingvamus, & hos *binos affectus*
constituamus *primitivos*. Appe-
titio autem boni dicitur amor;
aversatio mali odium. *Affectus*
derivativi certo numero definiri
neqveunt: si enim respiciamus
tam ad *objecta* varia, ad qvæ
spectant, qvam ad motus volun-
tatis diversos, qvibus se produnt,
aliasqe circumstantias, adeo illi
varii sunt generis, ut illorū name-
rum vix inire, ne dum ad cer-
tum ordinem eos redigere vale-
amus; quemadmodum & voces
de-

(s) Conf. Gentzk. tract. Etb. Phys.
p. m. 22. (t) Intred. in Phil. p. m. 381.

deesse videntur, qvibus eos omnes designare atqve distingue-re possimus. Si tamen divisio-nem ejusmodi affectuū derivati-vorum constituere velimus, fun-damentum præcipuum a diver-sis illorum objectis defumendum est, ex qvibus magna amoris & odii oritur varietas. *Bonum* enim, qvod petimus, vel ~~mali~~, qvod aversamur, aut est *præteritum*, aut *præsens*, aut *futu-rum*. Appetitio *boni* *præteriti*, vocatur *desiderium*, *præsentis*, *la-vitas*; *futuri*, *spes*. Aversatio *mali* *præteriti*, *pœnitentia*; *præ-sentis*, *tristitia*; *futuri*, *metus* di-citur. Bonum omne *verum*, qvā-vis simul jucundum, simul ho-nestum, simul utile fit: plerum-qve tamen unus respectus præ-altero magis adficit animum. Qvod si ita ergo imminet bo-num apparenter jucundum, vo-luptas

luptus oritur; si bonum apparen-
 ter honestum, *ambitio*; si deni-
 que quod utile videtur, *avaritia*.
 Rursus quoties malum honesto
 repugnare videtur, *ira*; si decoro,
pudor si jucundo, *tedium*; si deni-
 que utilitati, *invidia* emergit.
Voluptas si in venerem tendit, *la-
 sivia*, si in variarum rerum pa-
 rum utilium cognitionem, *curi-
 ositas*; si denique in gulam, *lu-
 xuria* dici solet. Sed sunt & affe-
 ctus, qui ex *bono* *maloque* alteri con-
 tingente existunt. Ex bono e-
 nim amici præsente vel præteri-
 to, *congratulatio*; ex futuro, *fa-
 vor*; ex malo amici præsente,
 præterito vel futuro, *commisera-
 tio*; ex bono porro, quod inimi-
 co obvenit, iterum *invidia*; ex
 malo ei imminente, *irrisio* vel
πικαρενακία. Nec raro plures
affectiones inter se colliduntur, aut
 jungunt phalanges. Sic si amor
 &

& metus concurrunt, *Zelotypia*,
 si invidia & ambitio, *emulatio*
 inde oritur. Ut autem de me-
 diis etiam sumus solliciti, cum
 quid obtainere vel amoliri stude-
 mus: conseqvens est, ut si me-
 dia *bonum* conseqvendi, retinen-
 dique facilia cui videantur, *fidu-
 cia*; si difficilia, *dissidentia*; item-
 que si media averruncandi *ma-
 lum* se tanquam facilia repræsen-
 tent, *audacia*; si tanquam diffi-
 cilia vel impossibilia plane, *de-
 speratio* inde nascatur, ceu no-
 rat etiam Clariss. *Dmns.* Heinecci-
 us. (n). Hac vero aliave ratio-
 ne, cum morum Doctores ad
 certas classes affectus revocant,
 non id volunt, ac si præter eos,
 qvos recensent, non essent alii;
 sed præcipuos tantum nominant,
 ostenduntque hac divisione, qvē-
 admodum qvadam saltim ratio-

(n) In *ELEM. Phil. Mor.* p.m. 19. § 20.

ne, in ordinem possint redigi (v).

MEMBr. V. de Moralitate affectuum.

§. I.

QMnes affectus, cujuscunq; demum generis atqve ordinis sint, maxime vitiosos esse, Stoici contendisse videntur. Sed recte judicat Clarissimus Omeisius: (x) Sicut mercatores iniquum quandoq; postulant, ut æquum obtineant; ita Stoici excidium affectuum imperarunt, ut moderamen impetrarent.

§. II.

QVod affectus, per se non sint vitiosi, pluribus argumentis probari solet: I. qvod ipse Servator noster, omnis perfectionis exemplar, non fuerit ex-

(v) *Conf. D. Valcb. Introd. in Phil.* p. m. 382. (x) *In aretol. Gen.* p. m. 42.

expers affectuum. est enim tri-
status ob mortem Lazari, læta-
tus ob successum prædicati Ev-
angelii &c. 2. qvod in scripturis
Deo adscribāntur affectus amo-
ris, odii, &c. 3. qvod a Deo
nobis præcipiantur quidam af-
fectus; ut amor erga parentes,
conjuges, liberos, miseratio erga
adflictos. 4. qvod necessita-
te Physica haud paucos affectus
in nobis oriri videamus, qui si
vitiosi sua natura essent, Deus
auctor foret mali.

§. III.

PHilosophorum vero propria
hæc sunt argumenta (a) qvod
nostræ sanitati fovendæ condu-
cant. Idem enim in homine mi-
crocolmo præstare videtur qvod
venti majore in mundo. Si-
cut enim hi aerem expurgant,
ita illi sanguinem quasi ventilant,
ne stagnans putrefacat, ut loquitur
Omeïsius. (b) Sunt cotes & in-
stru-

strumenta multarum virtutum ,
 vel stimuli atqve calcaria , qvi-
 bus ad bonum seqvendum &
 malum fugiendum excitamur (y)
 Quapropter etsi in consilium re-
 rum gerendarum adhiberi haud
 debeant , utpote qvod sibi vendi-
 cat sola ratio ; consiliorum ta-
 men exsecutioni intervenire pos-
 sunt ; qvo sensu aliis dicuntur
animi ale, animorum ardores, volun-
tatis satellites. Quod si animus
 affectu prorsus exutus esset , of-
 ficiarum nostrorum exercitium
 in multis , qvæ ardua essent , lan-
 guesceret . (c) Æqve ridiculum
 esset , ab homine postulare , ne
 Parentum Conjugum , Libero-
 rum , Amicorum , vel Opum et-
 iam jacturam ægre ferat , aut ne
 prolspero rerum successu lætetur ,
 qvam homines monere , ne ten-
 tiant dolorem , dum vapulant
 aut

(y) *Vid. Barcl. Icon. anim. p. m. 148.*

aut ne affiantur voluptate dum
tami cibo grato satisfaciunt; ut
loquitur Gentzk. (z). Physice igi-
tur & generaliter considerati,
sunt adiectus indifferentes; qua-
tenus vero in specie, cum hac
vel illa circumstantia morali, si-
stuntur nobis, vel boni vel ma-
li fiunt; ut sc. sese habent respe-
ctu objecti atque finis vel præce-
pti vel prohibiti, & commotio-
mentis objecto atque fini magis
vel minus respondet, ita ut ne-
que modum excedat, neque in
necessariis deficiat. Tota enim
eorum *formalis qualitas*, qua bo-
ni vel mali dicendi sint, petitur
partim a fine propter quem, par-
tim ab objecto, in quod feruntur.
Sic amare pulchrum est, si amor
tendit in objectum licitum & se-
dignum, idque boni alicujus ve-
ri inde obtinendi gratia. Fœdi-
sum

(z) In de Aff. p. m. 12.

simum idem est, si amor corripit objectum illicitum vel indignum; hocque solius suæ libidinis explendæ causa. Sic odium itidem bonum est, cum id quod lege vel natura sua damnabile atque vere noxium est, aversemur. Malum vero id odium est, quo quis prosequitur id, quod in se bonum, honestum, justum, & laudabile audit. Audacia bona est, si impetus ruat in apertum hostem; si tendat in familiarem & civem innocentem, mala est eadē audacia. Metus & timor itidem boni sunt, si timeamus ea, quæ timenda sunt; ut iram Dei & Magistratus, & caveamus mala certo ingruentia. Unde illud: matrem timidi flere non solere. Aliter si contra.

Membr. VI. De Effectibus. affectuum.

Hi partim in *corpore*, partim
C in

in ipsa conspiciuntur *animæ*. In *corpore* quidem affectus conjuncti sicut cum extraordinaria sanguinis commotione, & fluoris nervosi motu vehementiori ; quod ex coloris repentina mutatione, gestuum inordinata dispositione, motuum etiam externorum vehementia , robore membrorum cum affectu quolibet conjunctis, adparet ; qui tamen vel tardiores interdum vel concitatores esse possunt. Hinc facile deduci potest ille irascentium, ut Seneçæ mea faciam verba, asper & acris , audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, color versus, & nunc subito retrorsum sanguine fugato pallens, nunc in os omni calore & spiritu verso, subrubicundus & similis cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exsilitientibus, nunc in uno obtutu defixis, & horrentib⁹,

fla-

flagrantibus & micantibus. Hinc labra trementia, interdumque compresa, & dirum quiddam exhibilantia, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo perruptus, incerta verba subitis exclamationibus. hinc dentium inter se arietatorum & aliquem esse cupientium non alias sonus, quam est apriis tela sua attritu acuentibus. hinc horrent & subriguntur capilli. hinc spiritus coactus & stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, & complosae læpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens. hinc totius corporis concussio, musculi subfultantes; hinc bilis in illa partium inordinata cōstrictione in intestina & ventriculū effusio hinc pullus magni & vehemētes, tanto saepe impetu sanguinem urgētes,

ut vasis disruptis, vel præter naturam apertis, sanguis ex naribus, labiis, ore, utero, aliisque partibus, nec non vulneribus, in copia effundatur. Quæ verba sua etiam fecit Celeb. Dn. Verdries (aa). Nec diversa in aliis affectibus fieri animadvertisimus. In lætitia rubore suffunditur facies, & in majore illius gradu exoritur etiam risus, & aliquando quoque lachrimæ: sic de ceteris.

§. II.

Pratione *animæ* si perpendamus Radfectuum effectus, animadvertisimus illos etiam esse varios; dum vel *animum* disponunt ad expectanda, quæ natura nobis dictat esse utilia. Legitimi affectus, inquit Celeb. Valchius, (bb) multum boni in hac vita producunt,

effi-
(aa) in equil. m. & C. p. m. 130. (bb)
Introdr. ad Pbil. p. m. 380.

efficiuntque; spes enim recta incitat hominem ut bonum futurū segetetur; rectus timor securitatem movet; ira justa compescit aliorum malitiam; misericordia egeno succurit, &c. vel sanitati fovendae præbent adminicula, de quibus imprimis medici (cc) vel etiam tenebras aliquando offundūt intellectui, si pravi fuerint, ut verum elicere nequeamus. Vehementissimus enim spirituum animalium motus omnia in cerebre conturbat, & menti facultatem ideas comparandi adimit, ut recte loquitur Gentzkenius (dd) vel judicium corruptunt; homo enim de re quam amat vel odit, recte sentire non facile potest; vel ordinem in ratiocinando interver-

tunt

(cc) Conf. Langii Coll. Caf. per tam disp. 2. Et Verdries de Aequil. M. C. in locis pluribus, alio que-

(dd) de aff. p. 13.

tunt; cum ex foedere animi & corporis, affectus sint modo destinati ad exequenda rationis iudicia, & hiofficium conciliarii & judicis sibi arrogant; vel ideas non *conjungendas combinant*; hinc fit, ut si quis ab aliquo diversæ nationis aut conditionis a sua, quoquo bono vel malo afficiatur, is non tantum illum, sed omnes ejusdem nationis & conditionis aut amet, aut odio habeat: vel *animi tranquillitatem interturbant*, quo ipso homo in profundissimam calamitatis barathrum præcipitatur, omnique felicitatis sensu privatur. Qui affectus, si repetitis se invicem excipiunt vicibus, & nos sponte illis adfescimus, dato objecto *voluntas statim e vestigio commovetur*, tanta sœpe vehementia, ut morbos facile & ipsam quoque mortem suis corporibus, & na-

naturalibus & civilibus accele-
rare queant (ee).

§. III.

FONS horum effectuum malorum est *universalis illa natura humanae corruptio*, de qua Teologi. Philosophi est in specialiores hujus mali causas inquirere, quæ a Clariss. Gentzk. recensentur (ff).

I. quod plerumque secundum nostram imaginationem de bono & malo judicemus, unde affectuum saepissime excessus & falsissimum de rebus judicium. II. quod credamus, alios homines occasione eorundem objectorum *isidem ac nos miserri affectibus*. Hinc odium, invidia, Zelotypia &c. III. quod omnes affectus nostri se excusent, prout ex sen-

(e) Conf. Linzii Co". ca". Disp.
de mortuis ex affectibus. (f) Tract.
Etico. phys. de aff. p" m. 14.

tenui interno quisque ipse percipit. Hujus rei exemplum satis evidens ex ira cernere licet, quæ quamvis pessima perpetret, non solum se excusat, sed etiam se justam reputari contendit. IV.
quod possesso boni corporis conjuncta sit cum voluptate, possessio boni mentis & dolore: cum vero voluptas sit character boni, & dolor signum mali,
 haud raro usu venit, ut animi bonis posthabitibus, corporea magna faciamus sectemurque.

Membr. VII. de Remediis affectuum.

Quemadmodum vero Medici suam *προγράμματα* & *διάγραμμα* in Medica scientia non immerito magni faciunt, quippe quarum altera multum expedit morbis occupandis; altera in morbis curādis plurima sibi vindicat;

ita

ita etiam nos non parum, spero,
 juvabit, quod priusquam manum
 admouimus medicinæ parandæ
 affectibus, eorum caussis &c. in-
 veniendis operam non sterilem
 impenderimus. Cumqve in su-
 perioribus ostensum sit, objecta
 movere sensus, perqve hos men-
 tem; optime igitur sibi qvisque
 consultum credat, si (1) qvan-
 tum possit sibi ab istis objectis
 caveat, qvæ animum nostrum
 turbare possunt. Hic itaqve lo-
 cum habet Poëta illud de amore:

*Quantum oculis, animo tam procul i-
 bit amor.*

Qvod qvin ad plurimos alios sen-
 sus, affectus atqve objecta refer-
 ri & applicari qveat, nemini du-
 bium erit. Imitari decet Ulys-
 se ejusqve socios, qvi aures
 cera, ad Sirenum cantum ob-
 tu-

turabant. Si (2) diligentem adhibeat cautionem circa principia, ita ut quam primum vel minimos sentiat motus, rationis imperio insurgentes, illis frena injiciat, & in herba suffocet, iuxta monitum Poëtæ:

*Principiis obſta, ſero medicina pa-
ratur,*

*Cum mala per longas invaluere
moras (gg).*

Adpetitus omnes, inquit Philosophus, contrahendos sedandos que esse, excitandamque esse animadversionem & diligentiam: ut ne quid temere, ac fortuito, inconsiderate, negligenterque agamus (bb). Si (3) hostem suum victum mens nunquam otiosum di-

(gg) Ovid. de remed. am. v. 91.
(bb) Cicero de Off. L. 1. C. XXIX.

dimitat, sed honestis semper intenta rebus, illi imperet. Nam nihil adeo valet, ex communi Philosophorum etiam sententia, ad ingenerandos pravos affectus atque vitia, ut otium & inertia (ii); unde iterum recte Poëta de amore:

Otia si tollas periere cupidinis arcus.
Et otii vitia negotio discuti Curtius pronunciat (kk).

Tacitus hoc ipsum probat exemplo legionum Pannonicarum: Junius Blæsus fine Augusti & initiis Tiberii auditis, ob justitiam aut gaudium intermisserat solita munia. Eo, principio lascivire miles, discordare, pessimi cuiusq; sermonibus præbere aures (ll).

Hinc

(ii) *Vid. Barcl. Arg. Lib. IV. C. XVIII.* (kk) *Lib. VII. C. I.* (ll) *Tacit. Lib. I. Annal. Germ.*

Hinc non minus verum quam
tritum est illud: Otium multa
mala docet. Atque (4) cum nul-
lus hominum sit, qui liber esse
non cupiat; cogitet igitur quis-
que se nunquam ad hoc præcla-
rum gloriæ & felicitatis fastigi-
um pervenire posse, nisi adfe-
ctuum tœdissimo dominio solu-
tum. Quid est libertas? inquit
Cicero. Respondet ipse ad quæ-
situm: potestas viuendi ut velis.
Quis igitur (pergit) vivit ut vult?
nisi qui recta sequitur: qui gau-
det officio: cui vivendi via con-
siderata atque provisa est: qui
legibus non propter metum pa-
ret, sed eas sequitur atque colit,
quia id salutare maxime esse ju-
dicat: qui nihil dicit, nihil facit,
nihil cogitat denique nisi liben-
ter ac libere: cujus omnia con-
silia resque omnes, quas gerit,
ab ipso proficiuntur eodemque
refer-

referuntur: nec est ulla res, qvæ plus apud eum polleat, qvam i-
psiis voluntas atqve judicium.
Cui qvidem etiam, qvæ vim ha-
bere maximam dicitur, fortuna
ipla cedit. Et paulo ante de-
imperatore: Refrenet primum
libidines, spernat voluptates, i-
racundiam teneat, coérceat a-
varitiam, ceteras animi labes
repellat: cum incipiat aliis im-
perare, cum ipse improbissimus
dominis dedecori atqve turpitu-
dini parere desierit. Dum qvi-
dem his obediet, non modo im-
perator, sed liber habendus o-
mnino non erit (mm). Idem Ci-
cero ponit etiam fundamentum
stabilis amicitiæ, qva nihil, ex-
cepta sapientia, melius homini
a Diis immortalibus datum pro-
nuntiat (nn), in eo, qvod homi-
nes

(mm) Parad. V. Cap. I. (nn) Cic. de
Amic. Cap. 6.

nes benevolentia conjuneti, pri-
mum cupiditatibus iis, qvibus
ceteri serviant, imperent (oo).
Tum etiam (5) miseriæ, qvibus
illi cruciantur, qvi adfectibus
subjacent, considerandæ. Sic e-
nim hac de re iterum Cicero: Te
miseriæ, te ærumnæ premunt,
qvi te beatum, te florentem pu-
tas: tuæ libidines te torquent:
tu dies noctesqve cruciaris (pp).

Præterea (6) semper cogite-
mus nos non solum lege Divina,
in verbo ipsius expressa, sed et-
iam natura obstrictos esse, ut
frenum injiciamus adfectibꝫ no-
stris, ne Ethnicis pejores videa-
mur. Adpetitus rationi obedi-
ant, eamqve neqve præcurrant
propter temeritatem, nec pro-
pter pigritiam aut ignaviam de-
se-

(oo) *Ibid. Cap. 22.* (pp) *Cic. Parad. II.*

serant: sintque tranquilli atque omni perturbatione careant. Ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui adpetitus longius evagantur, & tanquam exultantes sive cupiendo sive fugiendo, non satis ratione retinentur. Relinquent enim, & abjiciunt obedientiam: nec rationi parent, cui sunt subjecti lege naturæ (qq).

Postremum ad affectus conti-
nendos (7) saepius recordabimur,
cum primis in ornando corpore
nostro occupati, quomodo in-
ordinati affectus non solum in-
tra nos turpissimam deformita-
tem creent, & extra nos malam
famam, ignominiam, contem-
tum, fastidium atque odium no-
stri excitent, nosque hoc modo
fœ-

fœdant atqve conspurcent; sed etiam ipsum corpus nostrum fœdissime corrumpant. Quod affectuum remedium passim invenire licet apud eos, qvibus illustrium fœminarum mores præceptis, cum fructu ad decorum componere curæ cordiqve fuerit. Nam de corporis, per affectuum tumultuarium motum, fœditate, præter experientiam optimam rerum magistram, Cicero etiam hæc habet: Non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliquaque, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: qvorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur (rr).

Hæc aliaqve remedia, qvæ vel

(rr) Loco prox. sup. cit.

vel in genere vel in specie a Philosophis variis traduntur varia, qvamvis ad affectus pravos subjugandos, reliquos autem recte ordinandos, haud parum sint profutura, non tamen sufficiunt ad perfectam eorum cohibitio- nem. Vix enim possibile, ut no- stra tam debilitata natura tantum opus possit perficere, tantoque malo mederi. Qod si itaque re- belles suos affectus arctius cohi- bere velit homo, potiora auxi- lia extra se quærere debet, illa- que a summo Numine exspecta- re, cujus gratia demum illos in ordinem redigere poterit. (//) De- us igitur Ter O. M. qui nobis a- nimam & corpus benignissime contulit, regat ita meam omni- unque suorum mentem sancti spi- ritus sui virtute & gratia, ut hæc in hac vita corpori recte præsit, & tandem in futura eidem cor- pori

(//) ad Gentzk.

50
pori iterum unita æterna felicitate potiatur , ubi nos in sanctis Angelorum choris eundem Deum , benignissimum nostrum Patrem , cum gaudio triumphantes, æternum collaudabimus!

SOLI DEO GLORIA.

